


norum familiam pertinere; Ecclesiæ Astensi beneficia-rio jure devinctos; ac Marchionis Bonifacii, cujus ætate floruerunt Castellanos fuisse: Alasiam vero in hoc documento nominatam videri uxorem fuisse Ottonis de Monte-Basilio, cujus meminit Duran. Piemonte Cispadano pag. 165.: horum frequentem mentionem haberi in membranis hujus ætatis Tabularii Carthusiæ de Casotulis. Hæc omnia confirmavit ex charta permutationis inter Marchiones Cevæ, & Episcopum Astensem ann. MCCXXII., quam ejus beneficio typis edidi p. 2. S. C. D. col. 400. n. 176. In hac fit mentio DD. Jacobi, & Arditi de Monte-Basilio. At istos pro certo habet ad familiam DD. de Caraxono spectasse: clarum igitur fit antiquiores istos Montis-Basilii Dominos ejusdem quoque familiæ fuisse. Præterea inter fratres in hoc documento memoratos recenseri quemdam Obertum, cujus in familia Marchionis Bonifacii altum ubique silentium. Quæ cum & vera, ac solida mihi visa fuerint ipsi gratulatus sum non solum, quod me a falsa, inquam inclinabam, sententia dimoverit, verum etiam alterius nobilissimæ familiæ originem detexerit, quod historiæ illorum temporum illustrandæ maxime inservit. Cæterum, ut libenter fatear, quod sentio, in ea me opinione admodum anxium, sollicitumque tenebat illa observatio, qua ex hac charta consequeretur, nepotem magnæ Adelaidis Bonifacio jam seni ultimo nupsisse, quod graves patiebatur difficultates, quarum præcipua hæc mihi videbatur. In libro inscripto: Chronologia, & aliorum virorum Illustr., & Abbatum Intulæ Lirinensis Lugd. in 4. 1613. par. 2. pag. 162. l. Bonifacium Marchionem cum Agnete sua uxore versus ann. MCXXXI. approbasse quandam donationem Ottonis Episcopi Albinganensis Monasterio Lirinensi factam (textum protuli in parte II. col. 321. n. 50.). Haud enim intelligebam, quo modo fieri posset, ut hoc anno filii solum cum matre ad exclusionem M. Bonifacii, qui in vivis erat, de tanti momenti feudo disponerent. Videbatur etiam conciliari haud posse hæc duo tam brevi intervallo, & tam pro-  
 40 vesta Bonifacii ætate Adalastiæ, ac Agnetis a Bonifacio inita matrimonia. Ad rem extra omnem dubitationis aleam collocandam illud unice deerat invenire hujus M. Bonifacii decretum. Et hoc sibi sumsit numquam satis laudandus Sclavus, quod ei quoque feliciter successit. Adeo enim impigre, ac sollicitè egit apud amicos, aliosque, ut ex ejus Monasterii Tabulario inventa demum fuerit charta memorata, quam cum ad me misisset, deprehendi scriptam a M. Bonifacio Agnetis consensu anno MCXXVIII. Si itaque hoc anno cum Agnete junctus erat Bonifacius, haud potuit post sex annos Adalastiam habere uxorem, quæ jam tot tantosque ei genuisset filios, quot in hac charta MCXXXIV. Adalastiæ tribuuntur? Quid si addatur jam fere omnes ex istis in testamento Bonifacii anni MCXXXV. jam nominatos reperiri? constat ergo, quod initio dicebam, optime sensit V. C. Sclavum, cum hanc chartam ad Marchiones Aledramicæ familiæ nullomodo pertinere posse putavit.

MCXXXVII. Col. 52. n. 40. Hoc documentum licet ad Amedeum Comitem pertineat, origines tamen Monferratenium Marchionum maximopere illustrat ex ea parte, qua Monasterium de Loces in terra Mar-

chionis Wilelmi fratris sui situm affirmat. Conveniunt hæc cum Ottonis Frisingensis historia, qui præterea addidit l. 1. cap. 44. Amedeum Comitem, & Vilelmum Marchiones Ludovici Francorum Regis avunculos fuisse. En ejus verba: Tempore veris.... Conradus Rex in transmarinam expeditionem profectus est .... tantam autem post se multitudinem traxit .... quem Francorum Rex Ludovicus non multo post cum suis subsecutus est ducens secum ex nostris Lotharingos, quorum principes, seu primores erant Stephanus Metensis, Henricus Tullensis Episcopi, Reginaldus Munzunenensis, Hugo Vaidementensis Comes, & de Italia Amedeum Taurinensem, fratremque ejus Gullielmum Marchionem de Monteferrato avunculos suos, aliosque quamplures. Quo autem modo hæc cum Francorum Rege necessitudo intercesserit, præstat paucis explicare adhibitis ad hoc opus Gallicis Scriptoribus. Adferam Albericum, qui primus mihi occurrit. Is in suo Chronico (Rer. Gall., & Franc. Script. Tom. XIII. edit. 1786. pag. 705.) ad annum 1162. hæc habet. Uxor autem Ludovici Grossi mater omnium prædictorum Regina Alaidis fuit, soror Amedi Comitis Sabaudia, de cujus altera sorore (uterina) Marchiones Montisferrati procedunt: de tertia Reges Portugallia, & istarum mater Comitissa Sabaudia fuit filia ejus, qui tunc erat Dux Venetia. Licet enim erraverit, & cum Marchiones Montisferrati ex sorore uterina Amedei derivatos putavit; (si tamen lectio sincera est); neque enim ex sorore, sed ex matre Amedei, quæ Rainerio secundo nupsit, orti illi sunt: & cum hanc filiam Ducis Venetia arbitratus est; cum filia fuerit Comitis Burgundia, minime vero Duis Venetia, (nisi malis dicere cum Guichenone errore Scribarum hoc factum; cum enim scripsisset Albericus Vefensensi, illi Venetiensi, & Venetia demum oscitanter scripserunt): attamen satis clare detexit horum cum Ludovico nobilissimam conjunctionem, sicuti in hoc schemate manifestius cognoscitur.



Demum addam indicationem corrigendam esse: neque enim anno 1137. currebat indictio XI. sed XV., quam in autographo, a quo hoc exemplar decem ab hinc annis desumsi, reperiri certus puto.